

49 Bibl.  
1740

1740.

5.

CULTORIBUS  
SACROSANCTÆ  
THEOLOGIÆ  
IN  
ACADEMIA LIPSIENSI  
*SALUTEM, AC PACEM  
APPRECATUR*  
DANIEL HEINRICI, DOCTOR  
THEOLOGIÆ, ET PROFESSOR  
PUBLICUS.



J. Prophatas.

6.

Conciliator  
biblici

Mofr

lib. 4. de Sa-  
cerdotio.QVOD FELIX, FAUSTUM, FOR-  
TUNATUM QVE FIAT!

**B**Rophetas, qui succinctō ac divinō Scriptu-  
ras illustrārunt commentariō, nulla non tulit æ-  
tas. Statim enim ac vir ille perbeatus, ut Moysem,  
nuncupabat Chrysostomus, Propheta admirandus,  
ac mortalium omnium humanissimus, incepit  
pater sacrorum scriptorum celebrari, unā eorum interpre-  
tem. Qvō munere exegeticō reliqui etiam Prophetæ quandoq;  
fungebantur, qui specialiter sic nominantur, cū certā ratione  
futura, aut captum humanum superantia à D E O illis fuerint reve-  
lata. Habuerunt namq; eorum pleriq; discipulos, qvibus divina  
exposuerunt oracula, sicuti in sacris administrandis, ac rebus cæ-  
teris eos informārunt fidelissimè. Qvod, me etiam silente, pa-  
cap. 10. 6. 5. tet ad oculum ex librō Samuelis primō. Ibi enim, capite non uno,  
10. 11. 12. 5 mentio fit כבְּנֵי אָיָה, seu, Prophetarum, hoc est, discipulorum Sa-  
cap. 19. 6. 20. 24. muelis, Prophetæ illius illustrissimi, qvibus ipse Saul, postqvām  
aliqvt nuncios mississet, non redeuntes, sese socium junxit, ut,  
NUM ET SAUL INTER PROPHETAS? abierit in proverbium.  
Cujus autem sensum neminem pigebit hīc legere. Annie & Saul,  
mens Prophetarum est & sententia, homo sacrorum parum gna-  
rus, cousq; progresus est, ut numero discipulorum Prophetarum & Sapientum, qvos Chaldæi סְפִרְיַת, id est, interprete Lexi-  
cographo, Scholasticos appellant, medium sese inserere, & cum  
eis laudes divinas non absq; singulari devotione posset celebra-  
re, & D E U M invocare. Taceo loca alia, qvæ eadem de prophetia  
loquuntur, & passim sunt obvia, præsertim in duobus Regū libris.

Qvōd si ad tempora posteriora eset eundūm, Prophetæ

homil. 39. in Genesim. *Paus* ejuscemodi occurrit non pauci. Nām beatus iste (Chrysostomi  
sunt verba) ad pedes Gamalielis eruditus, & optimè meritus Pro-  
pheta, Paulus, inquit: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesiâ*  
*primum Apostolos, secundò Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes,*

exine-

7.

exinde gratias curationum, opiculationes, gubernationes, genera lin-  
gvarum, I. Corinth. XII. 18. Ubi τωφήτας, qvos post τὸν τὸν τίσεως  
δέχηται, hoc est, fidei duces; ut Apostolos nominat *Theophylactus*, *Augustus*,  
collocat primos, interpretor literarum divinarum interpretes,  
non autem Prophetas veteres, qvi ad Joannem usque, Prophetar-  
um ultimum, vaticinati fuerunt, nec eos etiam, qvi in Novi Te-  
stamenti primordiis prophetarunt, qvomodo hos attendunt.  
*Chrysostomus*, *Oecumenius*, &c, qvem modò laudabā, *Theophylactus*. in commen-  
taris ad lo-  
cum præsen-  
tem.  
lib. 4. de Sa-  
cerdotio.  
Qvō sensu etiam idem organum Christi electum (ita *Paulum* ite-  
rum vocat *Chrysostomus*) οὐ λαλεῖν γλωσση, id est, dono varia & pere-  
grina idiomata nosse, τὸ τωφήτευει, seu, munus sacras literas ex-  
ponendi multis modis præfert, epistolā eadem, capite quartō &  
decimō, passim. Nec dubium est mihi ullum, qvin Prophetas  
similes idem *Paulus* intelligat, in epistolā ad *Ephesos*, cap. IV. II.  
Prophetias aliorum testantur scripta ab eis publicata. Talis au-  
tem Propheta, id est, Scripturarum interpres sine dubio, seculō  
statim à recuperatā salute primō, fuit *Clemens Romanus*, cuius epi-  
stolam, datam ad *Corinthios*, ac ante sexennium, & qvod excu-  
rit, in *Anglia* editam, hodiè licet mirari. Qvæ si etiam, ut videtur,  
genuina est & vera, prima est omnium scriptorum indubitato-  
rum, qvæ post sacrarum literarū canonem ad nos pervenerunt.  
Seculō alterō prophetavit *Irenaeus*, Episcopus *Lugdunensis* in  
*Gallia*. Testes sunt locupletes qvinq; illius libri, adversus Valentiu-  
num, qvi pleni sunt doctrinā & pietate, variosq; Scripturæ locos e-  
nucleant. Seculum, qvod seqvitur, tertium, munere istō prophe-  
ticō illustrarunt *Origenes*, ab exantlato labore dictus *Adamantius*, *Cyprianus* item, ac *Zeno*, qvibus adjungo ex quartæ ætatis  
Prophetis, *Eusebium Cæsariensem*, *Athanasium*, *Hilarius*, *Cyrillum*  
*Hierosolymitanum*, *Basilium*, *Gregorium Nazianzenum*, ac præ-  
primis *Hieronymum* & *Joannem Chrysostomum*, ne alias jam no-  
minem. *Augustinus*, Episcopus *Hypponensis*, florebat seculō  
qvintō, qvi si Propheta non fuit, nemo fuit. Plures qvi deside-  
rat, adeat Catalogum testimoniū veritatis, dignum, qvi evolvatur.

*Luttey*  
*Hippus*  
*Civ.*  
*Solarij*  
*Cand. phil.*  
*Joh. - XII.*

Duo tamen sunt Prophetæ, qvorum recordatio cuilibet non penitus malo debet esse sacra. Unus est Martinus Lutherus, qvi fuit, Langiò Citiensi Monachò teste, Theologus consummatus, profundus, incomparabilis, sacram Theologiam ad fontalem dignitatem, (nempe prophetiā suā, id est, fidissimā Scripturæ interpretatione) primavamq; puritatem, nec non Evangelicam sinceritatem, simplicemq; suam illam innocentiam, omni prorsus seculari philosophiā explosā, revocare conatus. Alterius vicem suppleat plurimū Reverendus ac Amplissimus Vir, Dn. D. HEINRICHUS HÖPFNERUS, qvem Prophetam, id est, disertissimum literarum divinarum interpretem, cum universō orbe literatiō jure saluto. Fuit certè, ut multa paucis comprehendantur, verus Theologus, qvem Veteres circumscribant, quod sit Vir bonus, in sacris literis eruditus; non quidem eruditione solius intellectus, sed multò magis affectus: ut ea, qvæ per Theologiam intelligit, traducat per jugem ruminacionem in affectum cordis, & effectum operis.

Cùm verò hic Prophetarum Princeps, anno decursō, non tamen absqve omine, Universitati Nostræ inclutæ & naturæ renunciaverit, ac proinde Professionem, qvam dicunt, Theologicam, beatissimō suō obitu fecerit vacivam, placuit DEO sapientissimo, & qvia ipsi, etiam SERENISSIMO NOSTRO ELECTORI, ut laudata Professio, & cum eā licentia publicè prophetandi mihi crederetur,

lib. 6. epist. 169.  
Qvia ergo DEUS vocat, seqvar, non immemor Gregorii vèrborum, qvæ præclara sunt, & aureis literis inscribenda, qvippe hæc: Ex verbis Christi, Simon Joannis amas me? pasc oves meas, colligitur, quod si ic, qvi valet, omnipotens DEI oves renuit pascere, ostendit se Pastorem summum minimè amare. Si enim unigenitus Patris pro explenda utilitate omnium de secreto Patris ad publicum nostrum egressus est, nos quid dicturi sumus, qui secretum nostrum præponimus utilitati proximorum? Qvies itaque nobis ex corde appetenda est, & eamen pro multorum

9.

rum lucro aliquando postponenda. Reliqua superaddet, qui vocavit DOMINUS. Si tamen vovendum est, voveo Augustini verbis, ut, qui misit me, servet me, servet in columem, servet sine Epistola 110. ermine, ut qui discens audivi HEINRICUM HÖPFFNERUM, docens locum suppleam morientis.

Ut autem munus istud professorium ac propheticum à libris propheticis exordiar, mandat amicè Reverenda plurimùm, ac Amplissima FACULTAS THEOLOGICA, cuius adfectum intimum & amorem verè collegialem mihi polliceor. Nec Vobis, LECTORES BENIVOLI AC FAVENTES, conatum hunc nostrum, spero, displiciturum. Prophetarum enim libri, divi Hieronymi judiciò, ea sunt Scriptura, quæ universa Domini Sacra menta contineat: & (in quâ) tam natus de virginе Emanuel, quam illustrium patrator operum atque signorum, mortuus ac sepultus, & resurgens ab inferis, & Salvator universarum gentium prædicetur. Quid loquar de Physicâ, Ethicâ, & Logicâ? quicquid sanctorum est Scripturarum, quicquid potest humana lingua proferre, & mortalium sensus accipere, istò volumine (Prophetarum) continetur. Et si intelligebant (Prophetæ) que dicebant, cuncta sapientiae rationisq; sunt plena, quemadmodum idem ille loquitur, nec aër voce pulsatus, ad aures eorum perveniebat: sed Deus loquebatur in animo Prophetarum, juxta illud, quod aliis Propheta dicit, Angelus qui loquebatur in me. Et, clamantes in cordibus nostris, Abba, Pater. Et, audiam, quid loquatur in me DOMINUS Deus. Non autem jam explicabo נביאים ראשוני, id est, Prophetas priores, ut eos Theologi Ebrai distinguunt; & qui sunt liber Iosue, liber Iudicum, duo libri Samuelis, & totidem Regum. Animus mihi potius est, proponere נביאים אחרוני, hoc est, Prophetas posteriores, eosq; non maiores, ut Augustinus vocat, nempe Esaiam, Jeremiam, Ezechi- lib. 18. de elem, & Danielem, sed minores, quales sunt Hoseas, Joël, Amos, Cibit. Del Obadias, Jonas, Micha, Nahum, Habacuc, Zephania, Haggaeus, cap. 29. necharias, & Malachias. Græci Prophetas hosce minores ap-

Prophe-  
tæ priores  
Prophe-  
tæ posteriores

pellant δωδεκαπλού Φηγού, & Ebraei תְּרוֹסֶר עֲשָׂר, vel duodecim, subintellige, Prophetarum. Illi enim, ut propter parvitatem in unum librum olim compingebantur, ita etiam pro uno tantum habebantur. Et quia inter eos primas tenet Hoseas, sacros meos labores ab eo auspicet, ordo postulat. Ordinem cum dico, eum intelligo, qui in codice divinō vulgo attenditur, non quod initio temporis libelli isti prophetici fuerint editi. Sunt enim illi maxime diversi, quod alibi demonstrabitur.

Ne verò Pauli dememiniisse videar, qui doctorem Ecclesiae jubet ὁ Θεός μου τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, hoc est, sermonem celestem recte partiri, & doctrinæ membra discernere; idcirco Hoseam, ut Prophetas reliquos, ita tractabo, ut post prolegomena, annotem I. argumentum, & succinctam capitum partitionem. II. luculentam, & verè orthodoxam textū primigenii evolutionem. III. aphorismos, qui inde sponte profluunt, & stabilunt doctrinam Christianam, aut destruunt falsam. Hac methodo prælectiones meas publicas in Prophetas inchoabo, &c, ēdū ὁ Κύριος οὐτε πέπη, pertexam. Utar autem verbis simplicibus, cum Ecclesiastica interpretatio, etiamsi habeat eloquii venustatem, dissimulare eam debeat, & fugere, ut non in otiosis Philosophorum scholis paucis discipulis, sed universo loqvatur hominum generi, quemadmodum verè Hieronymus admonet, & cum eo ego ipse alibi. Qvod itidem Augustinus nobis inculcat. Cæterum ut thesaurus, per se preciosissimus, aliquanto alicui charior est futurus, si scierit, quam à multis haud aestimandis vigiliis sit desudatum, ut eruatur; ita Propheta noster, quem si thesaurum pretiosissimum appellavero, verè appellavero, nobis erit jucundior, quod magis habuerimus perspectum, quantum operam illi explicando ingenia præcellentissima adhibuerint. Reliquit enim Apollinaris, Laodicenus Episcopus in Hoseam, ut in Prophetas alios commentariolos, tangens magis sensus, quam explicans. Origenes itidem par-

Contin. in  
Hoseam

vum de Prophetā nostro scripsit libellum, cui hunc titulum imposuit, *wēt tē wās ḥwōmād̄n c̄ rā wōnē ēΦeḡm*, hoc est, qvare appellatur in Osee Ephraim, volens ostendere, qvæcunqve contra eum dicuntur, ad hæreticorum referenda personam. *Pierii* quoqve extat tractatus longissimus, qvem in exordio hujus Prophetæ die vigiliarum Dominicæ passionis extemporali & disertō sermone profudit. Et *Eusebius Cæsariensis*, in octavo decimo libro *euſebluῆs ἀποδεῖξις* qvædam de Hosea disputat. Qvin *Didymus*, rogante ac instigante *Hieronymō*, tres libros in eundem Prophetam dictavit, ut testatur *Hieronymus* laudatus, qvi & ipse commentator in Hoseam celebratur. Quem hōc in opere secuti sunt *Cyrillus Alexandrinus*, & qvi ipsius æqvalis fuit, aliqvando etiam adversarius, *Theodoreetus*, *Theophylactus* item, *Rupertus Abbas Tuitiensis*, ac *Rēmigius Antisiodorensis*. *Martini Lutheri*, interpretis Scripturæ supra laudem positi, qvòd extent in Prophetam eundem commentaria, scimus, & gaudemus. Et hi sunt præcipui, ut recentiores præterea, qvos in Prophetæ hujus campo habeo præcursores.

Qui mecum velint in eodem exspatiari, die Martis proximâ, horâ pomeridianâ secundâ, in Auditorio, qvod vocant, Collégii Majoris superiori, ut convenient, omnibus animi studiis effictim oro & contendeo. Qvod ad meattinet, in docendis Vobis, STUDIOSI INDUSTRII, neque industria mea, neque diligentia, aut benevolentia deerit. Tantum, qvō animō ego ad Vos docendos accedo, eodem Vos me dicentem audite.

Præmittam autem luce crastinâ, finitâ statim concione, matutinâ, in Auditorio Collégii Majoris inferiori, ad morem MAJORUM laudatissimum, dissertationem, qvæ instituto præsenti congruat, & de nullo alio, qvam munere propheticō faciat sermonem. Paucula nempe præfabor potius, qvam dicam, & monstrabo potius, qvam docebo de propheticō istō

12.  
& à nonnullis hodiè in scenam projectò qvæsitò : An hodiernè seculò Prophetia, quatenus donum futura annunciandi denotat, vel uni saltē ac alteri homini obtingat, aut posse obtingere?

VOS verò, RECTOR MAGNIFICE, Amplissimi Facultatum omnium Decani, Seniores, Doctores, Profesores, Adsesores, Licentiati, Magistri, itemq; Studiosi virtute & eruditione nobilissimi, ac Cives Academia inclitæ universi, hasce ad laborum meorum sacrorum primicias, ut eā, qvā par est, observantia modestiave invitem, imperant antiquissimi Universitatis Nostræ antiquissimæ mores, ac affectus Vestri ad divina maximè propensi. Adeste proni, adeste benivoli, adeste frequentes. Redhostimentum cogitabo semper, si id exolvere non valuero. Valete, & vivite mecum in pace, qvam largiatur TRINUNUS. Proponebatur publicè LIPSIAE, Dominicā VI. post TRINITATIS, ANNO M. DC. XLIII.

Typis Hæredum GREGORII Rißschens.

